



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs II. Vtrum Angelus sit productus à Deo ab æterno. articul. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

est respondendum. Quae vero tam haec, quam praecedente quaest. dicuntur, plenius intelligentur ex iis quae diximus. 1. 2. quaest. 1. artic. 6. & quaest. 10. 13. & 14. Illud admonuerim in Angelis non esse actus surreptitios, atque indeliberatos, ut sint in nobis. Quare ex eo capite non dantur in eis actus naturales, ut distinguuntur contra liberos.

ARTICVLVS III.

Utrum Angelus diligat seipsum dilectione naturali & electiua.

Amor amicitiae, & concupiscentia quid.

**V**ANDO alicui volumus aliquod bonum, id cui volumus tale bonum, diligimus amore amicitiae: bonum vero, quod illi volumus, diligimus amore concupiscentiae, siue ergo Angelus sibi velit vltimum finem, siue medium ad illud consequendum, seipsum diligit amore amicitiae. Quia igitur Angelus sibi vult vltimum finem dilectione naturali quoad speciem actus: ea vero, quae sunt ad finem, dilectione electiua, & omnino libera: efficitur, ut seipsum diligit, & dilectione naturali, & electiua.

ARTICVLVS IV.

Utrum Angelus naturali dilectione diligat alium sicut seipsum.

Angelus vnus quo amore Angelum alterum diligit.

**S**ERMO est de dilectione amicitiae, respondetque D. Thomas: Si alius Angelus praecise spectetur, quatenus est vnus secum in specie, diligit eum dilectione naturali quoad speciem actus. Si vero spectetur secundum alias circumstantias, potest eum habere odio. Minus tamen naturalis, & necessaria quoad speciem actus est talis dilectio, qua vnus Angelus diligit naturaliter alium priori modo spectatum, quam ea, qua diligit seipsum, propterea quod minor fit vnitas vnus cuiusque cum altero, etiam illo modo spectato, quam secum, tamen si vtraque dilectio ab inclinatione naturali proficiscatur.

ARTICVLVS V.

Utrum Angelus naturali dilectione diligat Deum plus quam seipsum.

**Q**UESTIONEM hanc discussimus 2. 2. quaest. 26. art. 3. quo in loco similem de homine excitat D. Thomas quaestionem.

QVAESTIO LXXI.

De productione Angelorum in esse natura.

ARTICVLVS I.

Utrum Angeli habeant causam sui esse.

Ratio ordinis.

**A**B SOLUTA tractatione de iis, quae ad potentias Angelorum pertinebant, disserit D. Thomas quaestionibus sequentibus de illorum creatione. Licet autem haec quaestio praeponenda disputationi de potentia alicui videri posset, intendens tamen D. Thomas simul explicare, quales emanauerint à Deo, non solum secundum esse natura, sed etiam gratiae, & quales seipsum postea per Molina in D. Thom.

**A** suum liberum arbitrium effecerint, ad quod necessaria erat praecognitio potentiarum Angelorum, distulit hucusque disputationem de eorum emanatione à Deo.

Angelorum Deus est effector.

In hoc articulo sermo est de causa efficiente esse angelorum. Conclusio affirmat. Angeli efficienter sunt à Deo. Est de fide, ut constat ex definitione Ecclesiae in Conc. Later. 2. c. Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica: *Vnum est vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtraque de nihilo condidit creaturam, spirituales & corporales, Angelicam videlicet & mundanam.* In simbolo Concil. Nicen. *Factorem visibilium & inuisibilium.* Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Cum dicat, *omnia, nullum sane ens aliud à Deo excludit.* Ad Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa in caelis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Ad Heb. c. 1. de Filio Dei ait Paul. *Portans omnia verbo virtutis suae.* Omnia dixit etiam Angelos. Et infra: *Cum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Adorem eum omnes Angeli eius.* Et ad Angelos dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Et infra. *Omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Rationibus vero à lumine naturali petitis satis constat ex dictis q. 2. artic. 3. q. 3. art. 4. quaest. 11. quaest. 44. & 45. artic. 2. & 5. Omne ens aliud à Deo, fuisse à Deo creatum.

ARTICVLVS II.

Utrum Angelus sit productus à Deo ab aeterno.

**C**ONCLUSIO negat, estque de fide, ut D. Thomas hoc loco, & August. 1. 2. de Ciuit. Dei cap. 15. affirmant, constatque ex definitione illa citata cap. Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica. Proverb. 8. *Dominus possedit me, antequam quicquam faceret.* Eccles. 18. *Qui vixit in aeternum, creauit omnia simul:* ergo nihil ex aeternitate: cum confet condidisse mundum in principio temporis. Imò ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram:* idem aperte colligitur: Idem est enim in principio, atque antequam quicquam aliud produceret. De qua re latius art. sequenti, Ecclesiast. 24. de sapientia genita dicitur: *Primogenita ante omnem creaturam.* Et ad Coloss. cap. 1. post verba artic. praecedente citata ait Paulus: *Ipsè est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

Angeli non sunt ex aeternitate producti.

ARTICVLVS III.

Utrum Angeli sint creati ante mundum corporeum.

**E**X GRACIS plerique affirmant, Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos. In primis Orig. hom. 1. in Gen. exponens illa verba: *In principio creauit Deus caelum & terram:* quasi sensus sit, *In principio, id est, in Filio, addit: Non ergo hic temporale aliquod principium dicit: sed in principio, id est, saluatore factum esse dicit caelum & terram, & factum qua facta sunt.* Et infra, exponens verba illa, & factum est vespere & mane dies vna, ait, *No dixit, dies prima, sed dixit, dies vna: quia tempus nondum erat, antequam esset mundus. Tempus autè esse incipit ex sequentibus diebus.* Et in illa verba: *Fecit Deus firmamentum.* Cum, inquit, iam ante à Deo fecisset caelum, nunc firmamentum facit. *Fecit enim caelum prius de quo dicit: Caelum mihi sedes est: post illud autem firmamentum fecit, id est, corporeum caelum.* Ecc 2 omne

Qui asserant Angelos creatos ante mundum corporeum.